

B.

Quod DEUS ter-Opt-ter-Maximus
felix faustumq; esse jubeat.

H A S

DE REPRESALIIS

CONCLUSIONES

JURIDICAS

Decreto & Autoritate Magnifici & Am-
plissimi Senatus Juridici, in antiquissima
& celeberrima Rauracorum, quæ
Basileæ est, Universitate,

*Pro Doctoralibus in UTROQUE JURE
honoribus & privilegiis solenniter
obtinendis*

Publico examini subjicit

LEONARDUS WIDMANNUS

Marckerlbacensis Fr.

*Ad diem August. Anno MDCXXXI.
Horis locoq; solitis.*



BASILEÆ,
Typis JOHANN. JACOBI GENATHI.

s. jur. civ.

2,45

15643

Aus der
Schloßbibliothek zu Oels
1885



DISPUTATIONIS
DE
REPRÆSALIIS
ANTELOGIUM.

QUAMVIS nemo alterius odio pręgravandus
pręstareve teneatur, quod non accepit: & ob res
alienum inquietari vel conveniri alterum, fas
non sit; resq; inter alios acta aliis nec prodesse,
nec nocere debeat: Justitiã tamen & rationali æquitate ex-
poscente, ut singulis tribuantur sua, & omnibus rerum vel
creditarum, vel ablatarum fiat restitutio; hoc autem rerum
humanarum occasu, circumactãq; præcipitantis ævi perio-
do tanta sit multorum fraudulentorum hominum in con-
trahendis debitis licentia, & in non solvendo pervicacia &
iniquitas, quin & extranei Magistratus ad scelera & frau-
des suorum non rarò conniventia; ordinavit & permisit
eadem Justitiæ lex alium modum, suum consequendi, extra-
ordinariũ, malo nodo malũ cuneum objiciendo: ita ut, quod
monendo sollicitandoq; sedulo obtinere non potui, æquabili
REPRÆSALIARUM & pignorationum obice obtineam.
De quarum concessione & usu, an jure aliquo & ratione
nitatur, pro ingenii unciola, breviter summa capita deli-
neando, in presentia, cum bono DEO, tractare constitui.
Faxit ille Trinunus, ut dissipatis errorum nubeculis, tan-
quam excussã è silice flammã, lampadem veritatis excita-
re valeam.

THESIS I.

QUOD Philosophorum Princeps, Omne inusitatum ob-
scurum esse, alicubi dixit; id non modò de re, sed & ipso

REPRESALIARUM nomine verificatur: utrumque videlicet insolens & inusitatum; cum rem ipsam paucissimi videant, verbum autem ex peregrino idiomate assumptum sit. Quocirca pro evidentiori intellectu tum Nominis etymologiam, tum Rei definitionem præmittere non abs re esse duxi.

I I.

REPRESALIARUM igitur vocabulum exoticum est, ab Italico presa, quod capturam significat; vel à reprimendo, quòd iis aliorum iniustitia reprimatur. Latine pignorationis verbo reddi potest, uti eo usus est Gregor. X. Pontifex in c. unic. de injur. & damn. lib. 6. Decretal. Verùm, dicente Budæo in annot. ad Pand. Juris Interpretes malunt REPRESALIAS dicere; usq; adeò barbaries ad stomachum rusticitatis facit. Galli Jcti le droit de marque vocant, ut apud Papon. du droit de marque, lib. 5. arrest. tit. 3. & Guido Papæ decis. 33. jus marquæ, quia, ut arbitror, in limitibus potissimum exercetur. Cujac. ad l. unic. C. ut null. ex vicin. Græcis ειχουσιασμός dicitur.

I I I.

Sed quia semper quidem Represaliæ pignorationes sunt, non contrà, quid proprium, quidve commune cum illis, aliisve similibus habeant Represaliæ, non aliundè rectius, quàm ex earundem definitione, addisci poterit.

I V.

REPRESALIAS igitur definitio; quòd sint manus injectio & prehensio, quæ nobis adversus ejus loci incolas vel bona eorundem conceditur, in quo Justitia nobis denegata aut protracta fuit, quamvis illi nobiscum nec contraxerint, nec nos offenderint, quamdiù nobis satisfactum non erit. Vel brevius sic: sunt pignerationes, quæ unus pro alio, vel res unius pro alterius capiuntur & detinentur.

V.

Undè Represalias ad instantiam supplicantis ad alterius Magistratus, ejusve subditi iniustitiam reprimendam concedi intelligere est; Pignorationes autè privatâ ut plurimum sunt auctoritate.

V I.

Etsi autem imaginem earundem vetus Græcorum ανδροληψία refe-

re-

referat, & eam quodammodo in Romanorū clarigatione cer-
nere liceat; idem tamen hæc, *ut ex Hermoldo Barb. Gail. putat, de
pignerat. cap. 2. n. 8.* cum iisdem non est, quippè cum & formâ, &
fine longè differat.

VII.

Arresta quoque, quorum frequens hodiè usus est, itemq; se-
questrationes, licet cognationem quandam habeant cum Re-
presaliis; ab iis tamen in multis differunt, & æquiori jure quàm
Represaliæ conceduntur.

IX.

Spolium autem majoris omnium iniquitatis & violentiæ,
principaliter circa immobilia cadit, juxta interdictū Unde vi,
l. 1. §. illud. 6. Dig. de vi & vi armat. accessoriè circa mobilia, sicut
etiam Unde vi interdictum pro mobilibus accessoriè competit.

IX.

Sed quia inanis & supervacua fuerit omnis de Represaliis
quæstio & indagatio, si, *ut Damhaud. cap. 98. prax. criminal. n. 6. in-
quit,* reprædationes illæ sunt, quibus alterius innocentia pœ-
nam luat sceleratæ alterius nocentiæ, non spiritu Evangelico
suggestæ, sed ex carne potius & sanguine profectæ. Idcirco an-
te omnia videndum, an concessio & usus earum jure aliquo aut
ratione defendi possit?

X.

Et Civili quidem juri eas esse contrarias, manifestum est.
Nec enim id alium quidem esse debitorem, alium verò exigi, & *U3.*
alteri pro altero molestū esse permittit, quod species injuriæ &
invasionis est. Et scitè in hanc rem *Theodoric. Gothorum Rex apud
Casiodor. 4. var. epist. 10.* Dividuntur (inquit) causæ Germanis, Fi-
lius obligationibus paternis, si non sit hæres, exuitur. Uxor
maritalibus debitis, nisi per successionis vincula, non tenetur;
& audacia ad solutionem trahit extraneos, cum absolvant jura
conjunctos. Quin-imò expressè eo jure gravibus sub pœnis
prohibitæ sunt Pignerationes, ut patet ex constitut. Honorii, Zeno-
nis & Justin. in l. 4. C. de execut. & exact. lib. 12. l. item unicâ. Ut nullus
ex vican. lib. 11. Novell. 52. & Nov. 134. cap. 7. & fatetur ipse Pontifex in
d. cap. de injur. in 6.

X I.

Parùm igitur abesse videtur, quin Represalias eorum generi aggregemus, quæ usurpata, tamen nullo jure, Ulp. dicit *in l. injuriar. 13. §. ult. Dig. de injur.* Moribus namque & consuetudine omnium ferè Gentium in Europa receptæ, in Italia præcipuè & Germania invaluerunt, propter diversitatem jurisdictionum inter tam multos Principes & Respublicas, sicut de Italia *Br.* probat *in tract. de Represal.* ubi ostendit, tum maximè eas cœpisse frequentari, cum imminutâ propter peccata nostra Imperii majestate, Reges, Principes atq; Civitates, saltèm de facto Dominum non recognoscerent, qui ab injustè oppressis adiri & ulcisci injustitiam potuisset. Jam verò, quod Mundus approbat, non audeo damnare, ait *Bald. lib. 4. cons. 496. n. 3.*

X I I.

Si qua tamen ratio consuetudinis hujus, quæ vix ullâ certâ ratione regi videtur, reddenda est, eam reddam, quâ bellum quoque justum habetur; quia, *dicente Gailio lib. 1. obs. 28. in f.* ceduntur Represaliæ, ne justitia pereat, & sunt species justî belli. De utroque verissimè pronuciari potest, quod *apud Cornel. Tacit. lib. 14. annal. C. Cassius* ait; Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publicâ rependitur. Sed justiores adhuc sunt Represaliæ, minusque damni inferentes, quàm bellum. Undè & *Imp. in Recept. Imp. de Anno Christi 1594. Ratisbonæ. §.* Und so viel die vngleiche meynungen /c. ea tantùm arresta condemnat, quæ sunt facti; ea verò, quæ ratione obligationis, conventionis, pacti, transactionis, rei judicatæ, consuetudinis & c. fiunt, approbat.

X I I I.

Et hæc quidem ne nimium exorbitarent, diligenter Juris Interpp. elaborârunt, earumque effrenatam licentiam regulis & præceptis quibusdam veluti cancellis concludentes, restrinxerunt & coarctârunt.

X I V.

Illas regulas paucis hîc commemorare necessarium duxi. Primùm igitur, ut Represaliis locus sit, Creditori instanter jus sibi reddi postulanti, hoc ipsi manifestè & expressè denegatum esse

esse requiritur. Verùm cùm regulariter in Judice negligentia non præsumatur, nisi probata sit legitima requisitio; ideò ad docendum de facta debita requisitione, & subsecuta justitię denegatione, publico instrumento opus est. Adeò ut nec jusjurandum dicentis, se desperasse de jure consequendo, hac in parte sufficiat, *secundum Gail. d. lib. 1. obs. 28. n. 3.*

X V.

Et hæc quidem Magistratus requisitio ante omnia præcedere debet, quoties à privatis injustitia nobis orta. Quòd si verò ab ipso Magistratu & superiori profecta sit injustitia, inane vel non-necessariam esse requisitionem istam, *Bl. arbitrat.* Quæ distinctio ratione fundata; quòd frustra jus nostrum ab eo obtinere speremus, qui contra se-ipsum aut factum proprium non facile quid velle statuere præsumitur.

X V I.

Magistratum autem requisitum hoc loco supremum intelligo, utpotè Principem, Regem, Rempubl. liberam. Contra alium inferiorem, quòd ejus superior pro administranda justitia adiri possit, decerni Represaliæ non debent.

X V I I.

Quòd si cum peregrinis & exteris agrestioribus, à jure Romano alienis, res nobis sit, iiq̄ue secundum leges suas, quas pro optimis habent, aliorumq̄ue populorum longè præferunt, jus reddiderint, videbuntur ne justitiam nobis denegasse, ut Represaliis locus esse possit? Et cùm nihil ipsis imputari queat, id negandum puto.

X I I X.

Quid, si superior Magistratus debitoris requisitus eundem absolvit, quem mihi condemnare debuisset? (Et quidem, si Judex appellationis delin, cum *Br. tr. de Represal. quest. 2. n. 9.* Represaliis haud gravatim locum dabo.

X I X.

Nec solùm ob justitiam denegatam, sed & ob injustitiam illatam; veluti, si quis injustè condemnatus solvere coactus fuit,
GUM

*cum Par. de Put. in tract. de Syndicatu, Represalias in subsidium ad-
vocabo. Confirmatur idem à Jac. à Canib. in tract. de Represal. di-
cente: Possunt etiam tùm peti Represaliæ, quando fit iniustitia
à populo tanquàm ab aliquo Tyranno, vel populo erigente
cornua, & non recognoscente superiorem.*

X X.

2
M Deindè, debitum causaque petendi Represalias liquidissi-
ma, sufficientibusque probationibus aperta esse debet, ut sup-
plicantis postulatio vel re iudicatâ, vel publico instrumento,
vel chirographo plenisque indiciis nitatur. Ubi enim substan-
tia iustitiæ non est, ibi nec qualitas negligentia circa eam ex-
hibendam commissa argui potest.

X X I.

3
AB Tertiò, ut extraordinario huic Pignorationis vel Represa-
liarum remedio locus sit, gravem iacturam & damnum requi-
ro. Ob leve enim & modicum dispendium tranquillitas pu-
blica non turbanda. Et aliàs etiam subsidiaria & odiosa reme-
dia, quale etiam est Restitutionis in integrum, pro re modica
non competunt. Quæ autem iactura levis, modica vel magna
sit, arbitrio Iudicis relinquendum.

X X I I.

4
Quartò, authoritate Principis supremi, cui læsus subest, ut
in imperio Cæsaris, Represaliæ judicialiter imponendæ; per
rationem, quòd ille læsus publica patriæ onera munerave fe-
rat, tributa, vestigalia, gabellas solvat, similesque necessitates
conferat; quòdque Principi vel Magistratui ipsi accedat vel
decedat, quod subditis accedit & decedit. Unde apud Gallos
lettres de marque invenire est; quòd sine rescripto permissoque
superioris tale jus exerceri non oportet.

X X I I I.

De Electoribus, aliisque Ducibus & Principibus Imperii da-
bitari solet, an ii easdem concedere possint? Et cum ratione
Feudi superiorem Principem recognoscant, insuper etiam Im-
perii Constitut. & Recept. de Anno Christi 1495. §. Auch sollen wir/nc.
expres-

expressè prohibitum sit, ne Rex vel Ordines sine Comitiali lege bellum faciant; imò ne ipse quidem Imperator de bello solus statuere possit, sed Ordinum demùm accedente consensu, licèt fortassis contrarium admittat consuetudo; hoc negandum puto.

XXIV.

Quintò, cùm Medicorum ad urendum & secandum, non aliter, nisi ubi desperata res est, accedentium more, omnia priùs tentanda, quàm ad hoc extremum veniendum, intimari priùs debent Represaliæ supremo Magistratui eorum, contra quos peritæ sunt, eique denunciari, nisi jus civi nostro reddatur, habituros nos ad Represalias recursum. Idque misâ Legatione à supremo gravati Principe commodè expediri poterit.

XXV.

Sextò, ad tuendam Represaliarum rationem & illud æquum videtur, ut Reus tempore requisitionis adhuc sit solvendo. Secùs enim, & si adeò jam bonis lapsus sit, ut inanis contra ipsum foret actio, sanè innocentes iniquè detinerentur, cùm eo fine illi bonave sistantur, ut debitor solvat; dummodò hoc à Magistratu ejus probetur, nec quicquam dolo, morâ, vel collusione eâ in re factum fuerit.

XXVI.

Septimò & ultimò necesse est, ut creditori nulla alia ratio suum consequendi, quàm indiētis & promulgatis Represaliis, super sit. Secùs enim & si ordinarium remedium haberi possit, ad hoc extraordinarium, subsidiarium & violentum non decurrendum. Extrema primùm nemo tentavit, ait Seneca in Agamemn.

XXVII.

Et hæc quidem omnia prehensionem & pignorationem præcedere debent. Undè & justæ Represaliarum causæ cognosci, & à quibus eadem peti ac decerni possint, intelligi potest. De iis, quæ prehensionem sequuntur, inferiùs. Nunc materia circa quam, aut contra quas concedi Represaliæ possint, uberius paulò aperienda.

B

X X I I X.

Ex definitione autem superiùs allatâ patet, permitti eas ad-
versùs homines & bona ejus ditionis & provinciæ, in qua Ju-
stitia nobis denegata vel protracta fuit. Ubi tenendum, voca-
bulum HOMINES, non accipiendum de iis, qui orti quidem
sunt ex ea provincia, in qua jus nostrum consequi non potui-
mus, antè tamen, quàm decretæ Represaliæ indictæque sunt,
^{N3} aliorum domicilium transtulerunt, utcunque id aliàs & in a-
liis materiis ita locum habeat.

X X I X.

Fundata igitur nostra contra illos intentio, dummodò ejus-
dem sint provinciae, Civitatis vel vici: obligatos eos nobis
quocunque modo esse nihil est necesse; siquidem de Debitori-
bus & reis ipsis si Represaliæ dicantur, id non sine abusu voca-
buli fieri intelligendum est.

X X X.

Quâ in re cum pignorationibus in Imperio usitatis conve-
niunt Represaliæ, in quibus etiam rem tertiam, minimèque
controversam & innocentem, captam esse oportet; putà sub-
ditum meum aut res illius, propter litem de jurisdictione, vel
alio jure, quæ mihi cum vicino meo intercedit.

X X X I.

Provinciales autem non tales, qui intra fines Imperii sunt,
sed exteros & forenses intelligo. Non enim conceduntur in
eo unius Principis subdito contra subjectum alterius; cum
Principis sit, amborum causas cognoscere, & cuique æquabili-
ter justitiam administrare. Aliter enim, & denegatâ apertè ju-
stitiâ, si non sit medius superior, Camera Imperialis, vel pro
Promotorialibus, vel citatione ad persequendam ibi causam,
vel etiam pro mandato pœnali cum clausula, contra judicem
negligentem adiri potest. Fundatur enim ejus jurisdictio ex
capite denegatæ justitiæ, *per Ordinat. Cam. part. 2. tit. 26. Gail. lib. 1.*
observ. 28.

X X X I I.

Idem Gallorum moribus observari, ait Cujac. *ad l. un. C. ut null.*
ex

ex vicin. lib. 11. ut, si negotiatori Gallo merces diripuerint Hispani, idem, quàm primùm offenderit Hispanum, pari jure diripiet. Imò hoc non solùm in exteros apud eosdem, sed & aliquando in suos admitti, patet *ex Papon. arrest. tit. du droit de marque.*

XXXIII.

Ut autem cum *Matth. Còlero part. 1. cap. 2. de process. execut. n. 323.* qui vix est, ut existimem, ait, etiam contra forenses impetrari posse ab *Imp. Represalias*, facere non possum: ita quoque non possum non reprobare statuta & consuetudines quorundam locorum Germaniæ, qui Represalias etiam adversùs eos concedunt, qui ejusdem sunt Dioceseos, eidemque Principi subjecti, de quibus *P. Frid. Mindan. de process. lib. 1. cap. 49. §. 5. testatur.*

XXXIV.

Quamvis enim & *Br. teste eodem Mindano d. loco*, pro ejusmodi statutis & consuetudinibus pugnet, quòd nimirum eæ contra terras aut villas eidem Principi subjectas receptæ sustineantur; non tamen video, cur ad arma & rixas procedere Prætor eos pati debeat, quos potest jurisdictione suâ componere?

XXXV.

Cæterùm, concessis à summo Principe Represaliis, nō Provinciales omnes, eorumque bona periculo earum subjacebunt. Sunt enim, quos specialia privilegia tutos præstant à pignorationibus, ut Clericos, (nisi pro admisis ab Episcopo) & Scholares sive Studiosos, quin & eorum Nuncios: quosdam commune jus Gentium defendit, ut Legatos, & imbellem turbam omnem foeminarum, infantum, prægnantium, puerperarum, peregrinantium Religionis ergò, senum & ægrotorum. Item agricolas, quibus etiam ipsa bellorum immanitas parcat. *Reformat. guter Pollicey Augusta sub Carolo V. Anno Christi 1548. art. 7. Was in Kriegs-läuffen gefreyet.*

XXXVI.

Quin & Represaliis concessis simpliciter, non Provinciales ipsi, sed bona tantùm eorum continebuntur; sub exceptione tamen duplici: 1. Si homicidium vel aliud atrox delictum

commiffum, quod Ordinarius rei debito fupplicio non perfequitur. 2. In cafu neceffitatis, cum bonorum potestas haberi non poteft. Sic Galli dicunt; *Le droit de marque ottroyé par arrest, n'emporte emprifonnement des perfonnes, mais faiffiffement des biens feulement*: i. e. *Decret à pigneratione, non ἀνδροληψία, fed χευματοληψία duntaxat concessa intelligitur.*

XXXVII.

Quibus falvum conductum Dominus territorii promiffit, qui que publicâ sub tesserâ veniunt, nec hi Reprefaliis fubjici poterunt. Quod non idem est in eo, qui pedagium aut gabellas tantum Domino folvit, quod tamen Bl. voluit; fed usu contrarium fervatur.

XXXIX.

Nunc de effectu Reprefaliarum ratione Creditoris vel læsi paucis videndum. Et captis quidem ita hominibus vel rebus, omne, quicquid est, Judici confignari debet: cujus arbitrium erit, ubi perfonæ captæ custodiri debeant; non quidem ut pro pignore habeantur, fed ut tam diu, donec apud suum Magistratum effecerint, ut justitia adminiftratur, & principalis debitor ad folvendum compellatur, detineantur.

XXXIX.

Rerum quoq; captarum five prehensarum Inventarium per publicas perfonas Pignorator conficiet, ne qua fraus vel furtum in illis committatur, cavebit. Quo confecto, fimiliter tam diu, donec Creditori satisfactum fit, detinebuntur; aut solutione non fecutâ, per eundem Magistratum distrahentur, indeque ei satisfiet. Si quid superest, id Dominis reddetur; deductis tamen impensis judicialibus, aliisque captionis legitimis.

XL.

Cum autem alii per alium non debeat iniqua conditio inferri, nec quenquam cum alterius jacturâ & detrimento locupletari coveniat, ratione captorum & afflictorum, ex omnium Interpp. cospirante consensu, Reprefaliarum effectus est, quod pigneratus à principali debitor, utpotè à cive, convicano vel
com-

comprovinciali suo, quod ita solvit, repetere, prætereaque ad restitutionem omnium damnorum, quæ occasione pignerationis passus est, agere possit. 43

X L I.

Quo autem juris remedio, cum sine actione nemo experietur, ei subveniemus? Rursum ex communi Dd. traditione, actionem negotiorum gestorum utilem, vel conditionem ex statuto vel consuetudine, contra debitorem principalem, quem solutione suâ liberavit, ei largiemur. Quin his deficientibus, imploratio ac officium Judicis non deficiet.

X L I I.

Atque ita hisce concurrentibus & observatis, Represalias sustineri, iisque ita deductis processus extrahi posse arbitror; unicâ, eâque summâ ratione contentus, quam arbitra bonorum & malorum natura omnibus suggerit, permittens discedentes à legibus societatis humanæ, & jura Gentium violantes ulcisci; & quâ viâ capiant illi nos, eâdem & ipsos capi.

Et hac pro thesium ratione, de hac Represaliarum materia attulisse sufficiat. Quibus placet, adeant hac de re Bart. & Jacobi à Canibus commentarios uberrimos.





CORONIDIS LOCO
adjecta.

1.

SUPERSTITIOSUS est Leo Imper. qui in
Nov. 58. cibi ex sanguine cōfectionem tri-
plici, bonorum scilicet publicationis, fustiga-
tionis, & perpetui exilii, pœnâ vindicare nō
dubitat.

2. Mexicanorum Rex cūm consecraretur, præter alia jurabat, effecturum se, ut Sol
cursum splendoremq; suum teneat, nubes
pluant, rivi currant, & terra genus omne
fructuum producat, ut in hist. Mexic. Lopes.
Gomara Hispanus scribit: quæstionis est, an
hoc juramentum aliquam probabilem ra-
tionem habeat? Omnino.

3. An recepta in Galliis Officiorum mer-
catura probanda? Cum Imp. Alex. Severo
apud Lamprid. cap. 49. respondeo, ita dicēte:
Ego verò non patiar mercatores potestatum;
necesse enim est, ut, qui emit, vendat.

4. Mulier Scto Vellejano ab initio sta-
tim,

tim, dum negotium contrahitur, renunciare nequit.

5. *Filiusf. de peculio adventitio proprio & pleno jure suo testari potest.*

6. *Exheredatio hodiè tantum ob 14. causas fieri potest.*

7. *Doctissimi quidam Interpp. existimârunt, in l. 2. C. de luit. pign. deesse negationem, & pro DURARE, legendum esse, NON DURARE. Ego vulgatam lectionem retinendam puto.*

8. *Filius à defuncti patris creditoribus conventus, si solvere nolit, an probare teneatur, se ab hereditate abstinuisse, an contra creditores immixtionem seu aditionem? Posterius affirmo.*

SOLI DEO GLORIA.



[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

Dissert. jur. civ. 452, 45